EPHEMERIDES OBSERVATIONUM PHISICO-ANATOMICO-MEDICARUM IN...

Galgano Petrucci

Digitized by Google

Digitized by Google

VIR ILLUSTRISSIME.

NOn dubito fore pleroſque, qui obſervationes haſce meas ſane leves, tuoque prorſus indignas nomine fortaſſe exiſtiment; Attamen humanitatis tuæ erga me ratio

A 2

Digitized by Google

exigit ut illas qualeſcumque tibi, judicioque tuo graviſſimo ſubiicerem, tuoque commendarem patrocinio, tum propter illam, quam oſtendiſti in me, & in ſtudioſos juvenes propenſam voluntatem, tum propter illud, quod in te maxime elucet omnibus juvandi deſiderium, & ſalutis humanæ procurandæ ardentiſſimum ſtudium. Æquum propterea duxi ut Tibi præſertim, cui Senenſis Accademiæ ſtudia in poſterum dirigendi provincia a Munificentia Principis meritò demandata eſt, liquido conſtaret qui fructus, quæve utilitates ad hominum valetudinem ſervandam, reſtituendamque tum a Phiſiologia, tum ab Anatome, tum ab Arte Chæmica, tum demum ab Hiſtoria Naturali, & ab accuratioribus rerum medicarum Scriptoribus percipi poſſint atque hauriri.

Quod ſi forte contigerit, ut aliqua ex hiſce laboribus Clinicæ Medicinæ acceſſio fiat, nihil erit mihi amplius optandum, præſertim cum a Te probari, cum in lucem prodeunt, certo ſciam.

§. I.

§ I.

ULtimis elapſi anni diebus poſt ſævum frigus hyemale copioſis nivibus terra obruta, repente conſtitutio auſtrina ſecuta eſt. Tuſſes, & Pleuritides ſtatim apparuere juxta effatum Hyppocratis, hinc febres inflammatoriæ, ſanguiſque extractus induit cruſtam Polypoſam.

Septem fuere Pleuritici, qui primis Januarji diebus in Senenſi Noſocomio inflammatione ægrotarunt; omnes una, eademque curatione priſtinam ſanitatem adepti ſunt, ac ſi unum excipias, in omnibus Sydenamij & Vernæ methodo, ſcilicet larga ſanguinis evacuatione in initio morbi uſi ſumus. Res ex voto ceſſit, omni enim alias prudenti cautione prætermiſſa, & ipſis Hyppocratis documentis neglectis ad phlogoſim ſuperandam, nec materiæ coctionem, nec aliam a Divino Sene commendatam turgeſcentiam expectavimus.

Primo Pleuritidis ſeptemnario ſanguis utiliter detractus fuit e brachii venis, & a Saphena in pedibus uſque ad pondus unciarum octoginta, & camphora, camphoratiſque remediis large & affatim uſi ſumus docente Baglivio, & magni Friderici Hoffmanni obſervationes in camphora & effectus in corpore humano admirabiles deprehendimus.

Inſenſibilis ſiquidem traſpirationis pondus auctum eſt a volatiliſſima huius medicamenti virtute: ſudor namque univerſalis apparuit, qui & camphoram olebat, dolor pleuriticus continuo ceſſavit, ceſſavere febrium ſympthomata, & in duobus pleuriticis apparente cuticula polypoſa febris evanuit, ægrique recte convaluerunt.

Digitized by Google

Hanc obſervationem profecto magni fecimus in cauſis hos morbos facientibus conſtituendis, & experientia edocti ſumus Baglivium non multum à veritate aberraſſe teſte clariſſimo Valcarengo (1) cum dixit in Cap. de Pleuritide [*Materia namque illa quæ pulmonem infarcit foras educitur*].

Quapropter Boherawianam ſententiam merito rejicimus, melius enim Aræteus (2) ſentit in humoribus pleuriticorum aliquid ineſſe, quo condenſantur, hocque a frigore originem; ut ait, plerumque educere.

Noſtris vero opinionibus Lobbianis (3) doctrinis probe aſſentimur, & ab inſenſibili tranſpiratione ſuppreſſa Pleuritidem, & cuticulam polypoſam in noſtris Pleuriticis originem duxiſſe ſtatuimus.

Diximus in noſtris, quia nos non latet in medicina veritates non ſemper firmas ſtabileſque manere, meminimuſque hiſtoriarum Ballonii (4), Huxam, (5) & Prynglii (6), qui in Reumatiſmo, & Pleuritide ſanguinem diſſolutum, & putreſcentem adnotarunt.

His doctrinis innixi eo magis noſtra ſtetit opinio, calorem, febrilemque efferveſcentiam non poſſe ſerum, limphamque ſanguinis inſpiſſare ut vult Boherawius, non ſolum quia ad id efficiendum majores caloris gradus, quam humores noſtri perferre poſſent, requirerentur, & juxta termometrum Fahreneit a gradibus 148. uſque ad 152. pervenire neceſſe foret, verum etiam quia cruſta hæc polypoſa adnotante Clariſs. De-Haen (7) in mor-

(1) Valc. conſtit. Epidem. pag. 101. & 102.
(2) Aræt. de cauſis morb. diut. lib 2. cap 12 pag. 66.
(3) Lobb. trait. des Moy. de diſſoud. la pierre para. 1307.
(4) Ball de Reumat pag 178.
(5) Hux. de aere & morbis Epid. anni 1748.
(6) Pryng Malatt. dell' Armate pag. 114.
(7) De-Haen Med. Rat. cap. 6. pag. 57.

Digitized by Google

morbis maxime inflammatoriis aliquoties cruſta non obſervatur.

Quid igitur inquies pro certo ſtabilique habendum eſt de cauſis hanc cruſtam facientibus? Generatim cum Clariſſ. Hallero (1) affirmamus multa in hac cruſta paradoxa ineſſe, quorum cauſas nondum recte tenemus, ſpeciatim vero quid ſentimus audiisti.

Supereſt nunc ut aliqua delibemus Te docentes an a noſtris in morbis Pleuriticorum obſervationibus aliquod colligere potuimus, qua in parte morbi ſtatio ponenda ſit, ſcilicet in Pleura, an in Pulmone? Ingenue confitemur nos in hac parte nullam tuliſſe ſententiam, quia cadaverum ſectiones copiam nobis non dederunt hanc medicorum controverſiam æſtimandi, omnes enim pleuritici, ut diximus convaluerunt. Hanc quæſtionem igitur Clariſs. Morgagnio (2) & Hallero (3) ob hanc cauſam reliquimus: interim doctiſſimo De-Haen (4) nobis placet arridere.

[redacted] miraberis fortaſſe una eademque curatione omnes Pleuriticos optime convaluiſſe, cum præſertim illuſtriores Coac. prænot. interpetres, Ollerius, Duretus, & Jacotius in quibuſdam Pleuritibus & peripneumoniis a ſanguinis evacuatione abſtinendum eſſe prædicent. Idem confirmat primus poſt Hyppocratem Aætius, & Aræteus (5) nos docuit, quando dolor in epigaſtrica vagatur regione, apparatus ſordium in primis viis collectarum adeſt, dolor fixus quandoque hippocondria cruciat, ſanguinem detrahere Pleuritico idem eſt ac jugulare.

Nobis talia ſigna, & ſymptomata attente conſide-

A 4

(1) Haller. Phyſiol. lib. 5. Sect. 3.
(2) Morg. de Morb. Thor. epiſt. Anatho-Med. 20. Art. 38.
(3) Haller Elem. Phyſ. lib. 5. Sect. 2.
(4) De-Haen Rat. Med. Tom I. cap. 17.
(5) Aræt. in Sermone ſecundo Tetrab.

Digitized by Google

ſiderantibus non licuit in noſtris pleuriticis obſervare, habebimus alias comodiorem obſervandi locum, quapropter feliciter ſanguinem iterum iterumque detraximus, Trillero (1) duce; canphora, & canphoratis remediis copioſe uſi ſumus, & omnia alia remedia ab antiquis, & recentioribus practicis commendata tanquam inutilia & noxia etiam rejecimus.

De Veſſicatoriis vero ſic non opinamur: hæc enim magni facimus, quando indicationes præſertim vigent diſſolvendi, humoreſque priminæ circulationi reſtituendi, & cum ſupra enarrata remedia irrita ſint ſtatim veſſicantia brachiis, tibiiſque apponi juſſimus nec ultimam morbi deſperationem, uti plerunque mos eſt, expectavimus, & in Pleuritico pulſuum intermittentia oborta magno ægrotantis levamine iis uſi ſumus præceptorum Hippocratis (2) non immemores; & acri chantaridum ſale in ſanguinis maſſam introducto ſtatim intermittentiam evaneſcere, ſpirandi difficultatem imminui, & Pleuriticus in melius ſe habere cæpit, & perfecte convaluit.

Prynglii quapropter doctrinam in applicandis in pectore veſſicatoriis jure merito improbamus, dixit enim Hyppocrates (3) *quicumque tumores ſiunt ad crura boni*, & Baglivius (4), aliique Practicorum principes revultionem derivatione utiliorem in morbis pectoris deprehenderunt; & nos ſic experti ſuimus.

§. II.

Idibus Januarii duos Epilecticos nobis datum ſuit mederi, quorum alter erat juvenis, alter ætate ad ſenectutem vergente.

Juvenis temperamento fruebatur ſanguineo, ac integra valetudine, aſt ſenex diu valetudinarius,

(1) Trill. de pleur. c. 2.
(2) Hypp. progn lib. 2. *67*.
(3) Hypp. loco cit.
(4) Bagliv. de uſu, & abuſu Veſſ. pag. 399.

Digitized by Google

rius, pituitoſus, & melancholicus in lecto jacebat.

Ambos curavimus; verum in duobus hiſce eadem curatione uſi minime ſumus; in juvene enim curationem adhibuimus methodo Albertiniana, nam ex cauſis procatharticis, ſigniſque patognomonicis cognovimus a ſanguine effervescente & ſcorbutico, & a ſpirituum perturbatione malum oriri Carolo Delincurtio (1), & Hyppocrate id edocentibus (2).

Quamobrem ad hunc morbum fugandum ad Valerianæ Sylveſtris pulveres juxta monitum Fabii Columnæ annuente Marcantio (3), & ad Cranium humanum obſervante Albertino (4) confugimus. Paroxiſmi ceſſaverunt illico, & æger ſeptem dierum ſpatio liber evaſit, verum dietæ erroribus, vitæque intemperantia iterum in epilecticum morbum incidiſſe audimus.

Epilecticum vero pituitoſum ſenem alio modo tractavimus: primum enim ferro candente in Occipitio cutim adurere juſſimus, uti vult Celſus (5) & Hyppocrates (6), non ſolum quia per ulcera capitis, Tulpio (7) obſervante. pituita morboſa aliquando educta fuit, verum etiam quia ſpaſmus ſpaſmo vinceretur auctoritate Clariſs. Swetenii (8) innixi, qui magni faciebat hanc artem tractare.

Viſco quercino in pulverem redacto, Scyllæ & nitri granis vj. feliciter uſi ſumus memoriæ mandantes pulveres Scyllæ ab antiquis medicis maximopere Hyppocrate, Galeno, Dioſcoride,

 Etm-

(1) Carolus Delin. in Sepulc. Anath. lib. 1. Sect. XII.
(2) Hypp. Coac. præn. n. 599.
(3) Accad. Royal. des Scien. l' ann. 1706. mem. 432.
(4) Morg. epiſt. Anath. Med. 9. par. 6.
(5) Celſ. lib. 3. cap. 23.
(6) Hypp. lib. de Aff. Sect. 4.
(7) Tulp. in Sepul. Anath. lib. 1. Sect. 11.
(8) Vanſwieten in Boher. Aph. par. 650.

Digitized by Google

In hac una cogitatione defixus atque inhærens angebatur in animo ut verbis utar Aretei, [1], mærens atque illacrymans; colloquia amicorum ſæpius evitare, pauca aut nulla verba interrogatus reſpondere, & ſolitudinem quærere incæpit a morbi initio, unde merito dixit Hyppocrates [2] *Si metus aut triſtitia longo tempore perſeverent melancolicum illud eſt*: & alio loco [3], *triſtitia, & hominum averſationes melanconiam denunciant*.

Cogitantibus nobis vigilias quamplurimas, longaſque meditationes ſpiritus depauperaſſe, quorum jacturæ reſarciri nequit ulla arte niſi per ſomnum, venit in mentem opiatis utendi. Sydenamii & Swetenii more [4]: Verum parum aut nil profecimus; idcirco victu potius ut ait Trallianus (5) quam medicamentis hunc morbum ſuperare conſtituimus. Cibos eſſe leves prædicamus, medicamentis diluentibus utimur teſtantibus nobis ſummis in re medica viris Boherawio, [6] & Frid. Hoff. [7].

Hyppocraticam [8] in hoc morbo doctrinam ſprevimus purgantia enim violentiora ſuſpecta & læthalia ſemper habuimus. Peregrinationem interim imperavimus ſuadente Hoff. in Diſſertatione de Peregrinatione, ut anxia illa, & perpetua cogitatio, cui mens inhæret, mutetur; amicorum læta converſatione frui dicimus, & ſic a Deo Optimo Maximo ſalutem deprecamur. Faxit Deus. Sed de his hactenus.

§. VI.

(1) Aræt. de cauſis & ſignis Morb. acut. lib. 1. cap. 6.
(2) Hypp. Aph. 23. Sect. 6.
(3) Hypp. Coac. Præno n. 481.
(4) Vans-Swiet. de Melanc. com. in Boher. Aphor. p. 1095.
(5) Trall. lib. 1. cap. 16.
(6) Boher. Aphor de Melanc. par. 1097.
(7) Frid. Hoff. Med. Syſt. tom. 4. pag. 4.
(8) Hypp. Aph. 2. Sect. 4.

Digitized by Google

§. VI.

Audi nunc quid ab Anathome, & cadaverum ſectione didicimus.

Jacebat in Noſocomio primis Januarii diebus Paraphreniticus annorum fere XXXIII. temperamanto ſanguineo & athletico præditus. Febris erat ardens & continua, pulſus fræquens ſed æqualis, reſpiratio difficilis; expectoratio nulla. A primis febrium exordiis deliravit delirio admirando uſque in morbi finem, & maniacus factus pondera majora quam ſoleret extulit, tandem omnibus in pejus ruentibus ſtertens, ſupinus, & invitè collacrumans juxta Hyppocratis præditiones e vivis ſublatus eſt.

Cadaveris facies, humeri, & brachia non ſecus ac in ſuſpenſis nigreſcebant, ſanguine inter cutem, & cuticulam effuſo.

Putredinem gangrenoſam per totam cadaveris ſuperficiem irrepſiſſe admirantes adnotavimus, & hanc ab humorum putredine pendere docente Clariſſimo Hallero (1) ſtatuimus, & declaramus.

Muſculos omnes pectorales magna inflammatione correptos vidimus, Diaphragma vero altius in Thoracem compulſum inflammatione nigerrimum, & quaſi combuſtum obſervavimus.

Pulmo nec magna Phlogoſi detentus, nec Pleuræ adhærens erat, nobis obſtupeſcentibus, quod in tanta vicinarum partium Phlogoſi Pulmo ſolus univerſali inflammatione non corriperetur. Verum Hallerus etiam in opuſculis Pathologicis (2) idem obſervaſſe nobis tradidit in muliere pleuritide extincta proximis partibus inflammatione correptis immunibus intactiſque.

Hanc obſervationem tuentur Trillerus, Swetenius, & Clariſs. Morgagni, (3) quapropter nobis

(1) Haller phyſ. lib. 8. ſect. V.
(2) Obſerv. XIII.
(3) Morg. Ep An Med. xx Art. 38 lib. 2. de Morb. Thor.

Digitized by Google

bis judicantibus quomodo id evenire potuerit, inflammationem muſculi muſculos inprimis preſertimque affeciſſe viſum eſt ſtatuere juxta Hyppocratis (1) effatum: *conſenſus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia*.

Ne credas vero nos ex inflammatione ſepti transverſi Metheoriſmum, & omne aliud quod notatu dignum deprehendimus oriri cenſuiſſe; obſervatam enim admirabilem aeris expanſionem per totas corporis cavitates, per venas, per arterias, & per vaſa etiam lymphatica, ut infra dicemus, ab aliis cauſis originem duxiſſe arbitramur.

Thorace vix recluſo aerem per membranas, per vaſa inrupiſſe admirati ſumus, nam ſi illas partes aere diſtentas vi comprimeres, ſenſibili eruptione aer egrediebatur.

In abdomine major erat partium intumeſcentia ob aeris intercluſi copiam, inteſtina enim omnia inflabantur, & parvam ſcroti cavitatem etiam turgidam, & inflatam invenimus.

Vaſa lymphatica abdominalia aere repleta nodoſa, & reptantia melius quam mercuriali injectione coſpicua; venæ & arteriæ recluſæ aerem effundebant, & pericardium ipſum atra lympha repletum cum ſecavimus aerem graveolentem emittebat.

Metheoriſmum hoc admiraberis profecto; ſcis enim ex phyſicis aeris ingreſſum denegari per membranas, & per partes corporis membranoſa textura munitas: qua ratione igitur, & qua via iter fecit ad partes, & cavitates ſupra enarratas adimplendas, & diſtendendas?

Noſtram quæſo explicationem attende.

Scimus ex Hallero, aerem qui in cadaveribus apparet putredinis effectum eſſe, quæ *aut a morte acceſſerit, aut in ipſa vita cæperit naſci*... itemque *putredinem inter eas cauſas eſſe, a quibus aer generatur*

(1) Hypp. in lib. de alim. 6. Epid. 7.

Digitized by Google

tur, nempe a ſixo habitu in elaſticum reſtituitur.

In Hyppocratis (1) ægroto ſigna putredinis apparuere, & hunc metheoriſmo occubuiſſe textatur Hypp. ipſe.

In Clariſs. Swetenio (2) hiſtoriam univerſalis metheoriſmi legimus; hoc etiam in auram abiit fætentiſſimam: ſic teſtatur etiam Morgagnus, & ejuſmodi exempla invenimus in Ruiſchio, in Pryngglio, in Ballonio, in Huxham, & in Antonio De-Haen.

In noſtro paraphrenitico inventæ hæc ſigna putredinis non apparuerunt, & tamen ſic ut diximus omnia poſt mortem evenere.

Quapropter theoriam Macbridianam, & Jacquinianam in explicandis tam admirabilibus phenomenis amplectimur, & veram conteſtamur: aer enim fixus, qui in corpore humano mira combinatione invenitur a magna phlogoſi ab aliis elementis ſeparatus priſtinam elaſticitatem recuperavit, & ſic omnia vaſa in quibus uti cæmentum, & vinculum humorum circulantium exiſtebat diſſulit, & inflavit; phlogiſticus a vi correctiva liberatus ſuis præditus attributis muſculos omnes mirè affecit, & combuſſit, & ſic cæteræ partes in motum fermentativum actæ in putredinem gangrenoſam totum cadaver, uti ſupra diximus, converterunt.

Sed melius hanc Theoriam explicabimus in ſecunda parte Aquar. Min. Clanc. quam cito, ſi ſuperis placet, typis mandare ſtatuimus.

Nunc aliquid dicendum eſt de delirio quod noſtrum ægrotum uſque ad vitæ finem comitatum eſt.

Ne credas fortaſſe nos cum diaphragmatis vitio, & inflammatione delirium neceſſario conjungere; novimus enim Fernelii [3] adverſantem obſer-

(1) Hipp. pop. l. . ſec. 3. ægrot. 8.
(2) In Boer aph. § 14.
(3) Fer. Path. lib. 5. cap. II.

ſervationem, & Clariſſ. Morgagni (1) monita mente tenemus: obſervavit enim vir doctiſſimus in ſepti tranſverſi inflammatione delirium abſuiſſe.

Nos igitur in controverſiis Medicorum (2) quæ in Comm. litt. agitatæ ſunt implicari nolumus: verum utcumque hæc ſint, cum craſſioris meningis inflammatione, aut certè affectu ad inflammationem accedente delirium in noſtro ægroto conjunctum fuiſſe declaramus.

In tota aliorum viſcerum perluſtratione nil dignum notatu aſpeximus, ſi jecur excipias; iſtud enim majus viſum eſt quam eſſe ſolet in ſtatu naturali: veſſicula bilis bilem atram, & nigreſcentem continebat; cor, & vaſa cordis majora inflammata vidimus, cætera parvi fecimus, cadaverque Veſpillonibus reliquimus.

§. VI.

Audiſti Vir Illuſtriſſime a vi morbi enecatum hominem; nunc quæſo cur a propria humani compoſiti imbecillitate ſalutem, vitamque amiſerit ſenex, actente conſidera.

Decumbebat in Xenodochio Senex annorum nonaginta quinque ſenio, laboribuſque confectus ſine febre, appetitu integro, viribus vero fractis deperditiſque.

Nonnullis tranſactis diebus febre vehementer laboravit; evanuit iſta, poſteaque pulſum intermittentem agnovimus.

Hæc intermittentia mirum in modum ita augebatur ut minuto primo ſolæ xx. pulſationes numerarentur.

Poſtridie ejus diei quo mors ſecuta eſt deliravit, & ſic paulatim naturæ conceſſit.

Cadaver ſecuit expertiſſimus diſſector Sementius, & ad explorandam tantam pulſuum tarditatem continuo operam dedimus.

In

(1) Morg. Epiſ. Anat.-Med. VII. ar. 14.
(2) Ann. 1736. heb. 22. n. 2.

Digitized by Google

In pulmone nihil obſervatione dignum repertum fuit, pulmonem namque quibuſdam in locis adhærentem & ſolito flaccidiorem, ut in aliis accidit cadaveribus, Morgagno [1] obſervante vidimus.

In corde vero, viciniſque partibus hujus pulſuum tarditatis cauſam deteximus; phenomenon profectò admirandum; nam & celeb. Morgagni (2) unum exemplum cum admiratione adnotavit, & Clariſs. Hallerus [3] ingenue confitetur, ſolas XXIII. oſcillationes in minuto horario perſentiſſe, quo numero numquam minorem aut vidit, aut uſquam legit.

Cauſa noſtri phenomeni in Cava fuit recognita: iſta enim cavum efformaverat pugni magnitudinem æquans flaccidum & valdè diſtentum, & ſanguine grumoſo replenum; ſic ſanguis in ſacculo inhærebat, & a ventriculo cordis dextro ad ſinixtrum non efferrebatur tanta copia, ut arteriis frequenter, & vi proportionali momentum præberet: hoc teſtatur & ipſe Hallerus. [4]

Aortæ truncum aſcendentem, & deſcendentem oſſiculis refertum obſervavimus.

Similia in Clariſſ. Morgagno exempla leguntur; ſed & arteriæ ipſæ in oſſeam ſubſtantiam converſæ nonne & pulſuum tarditati cauſam tribuere non poterant? Interim animadverte noſtri humani corporis imbecillitatem.

Temporis lapſu, fluidum fit ſolidum, ſolida cartilagines, cartilagines oſſa evadunt, liquida clauduntur; deinde mors. Dum vaſa abſcindebantur, longæ portiones concreti ſanguinis eductæ ſunt velut enſes e vaginis; hæ etiam pulſuum intermittentiæ originem tribuerunt.

Itaque ne mireris ſi noſter Senex neceſſaria quadam noſtræ machinæ labefactatione naturæ conceſſit.

§. VIII.

(1) Epiſt. Anat. Med.
(2) Mor. de Cauſ. & Sed. morb. ep. XXIX. n. 33.
(3) Hall. Elem. Phyſ. T. 2. lib: 6. ſec. 2.
(4) Hall. L. C.

Digitized by Google

§. VIII.

Tertiam nunc hydropici ſectionem accipe.

Jacebat in lecto jamdiu aſcite laborans vir annorum circiter quinquaginta pituitoſo temperamento præditus, & vini potator ſtrenuus

Hic diureticis, & purgantibus remediis ſæpe ſæpiuſque curatus tandem in peripneumoniam incidit læthalem, qua ſeptem dierum ſpatio magna ſpiritus difficultate, tuſſique vehementi oborta mortuus eſt juxta Hypp. [1] prædictiones nos admonentis: *in morbis cum alter alteri ſuccedit plerumque occidere*. Quærentibus cauſam hujus morbi permutationis, Ballonii [2] effatum memoriæ mandavimus, neſcientes: *quam vim malignam, & virus quoddam declaravit ſubita mutatio morbi & tranſitus in alium*.

Utinam poſſideremus, ut dixit Boheraw. [3] Proſperi Alpini librum de variis permutationibus morborum, nos non lateret quod in noſtro hydropico nobis inopinantibus accidiſſe teſtatur hiſtoria morbi & quod primis quaſi lineis adumbratum cognovimus in Baglivio [4]. Cadaveris ſectionem imperavimus, & Thorace aperto totam pulmonis ſubſtantiam ſero ſubflavo innatantem vidimus; pulmonem ipſum ſyderatum, & quibuſdam in locis inflammatum aſpeximus; hinc tuſſim, & anxietatem ſpirandi explicavimus: pulmonem enim a ſeri erodentis colluvie inundatum conthrai, & in convultionem agi neceſſe erat.

Verum primam hydropis cauſam in viſceribus perluſtrandis agnoſcere non potuimus; omnia enim ſana & in ſtatu naturali inventa, & ſolum Epar plus quam eſſe ſolet extenſum obſervavimus, quamvis vero in interna ſubſtantia ſanum, & omni prorſus obſtructione carens. Qua-

(1) Hypp. in lib. de aff. n. 13.
(2) Ball. Epid. lib. 2. ad Ver. a. 1518.
(3) Boer. prælec. in inſtit. § 942.
(4) Bagl. Spec. trium reliq. lib. de fibr. motrice.

Quamobrem ſolum nobis datum fuit de permutatione morbi conjecturas inijcere nonnullas.

Clariſſ. Joann. Targionius in prima collectione obſ. med. varias enarrat hiſtorias Epatis plus ut quam par eſt in abdomine aucti, quod etſi in ſua ſubſtantia ſanum, & naturale inveniretur, attamen graviſſimis damnis affecit viſcera in Thorace contenta.

Bonettus idem teſtatur in Sepulcreto, & Clariſſ. Morgagni [1] exempla novem enumerat in Epiſ. Anat. medici: & in adverſariis Anat. alteris.[2] Hallerus [3] etiam ſimilia refert.

Quæ cum ita ſint clarè cognovimus ex anatomicis venæ portæ ramos Epar intus numero majores eſſe illis venæ cavæ, & ob hanc cauſam phyſiologicis theoriis erudimur ſanguinis motum per portam tardiorem eſſe quam in principali trunco, quapropter Epatis vaſcula diſtenduntur ab abbundante ſupervemente ſanguine, & ſic Epatis ſubſtantia augetur.

Sanguis per pulmones ritè & celeriter circulum non peragit Epate ſic ſuffarcinato, ibi impetum facit, vaſa diſtendit, & ſic vaſa lymphatica arterioſa & venoſa diſrumpuntur, & intra Thoracis cavum ſerum effundunt, ſicque hydropſis pectoris, & poſtea inflammatio in noſtro hydropico ſecuta.

Verum hæc eveniſſe ſolis conjecturis aſſerimus, meliuſque cum Mortono [4] ſentimus hanc hydropis eſſe ſpeciem quæ a ptyſi, ſeu partium atrophia oriebatur, quapropter ſuperanda nobis erat hæc hydropiſis corroborantibus & aſtringentibus remediis, quam diureticis, & evacuantibus: his enim cauſa morbi aucta eſt, feroque ſanguis ſpo-

(1) Morg. epiſ. 7 14. & 13.
(2) Morg. adv p 13.
(3) Elem phyſiol lib. 23. ſec. I.
(4) Mort. Ptyſiol.

Digitized by Google

ſpoliatus tandem abiit in diateſim inflammatoriam, ſicque in pulmone, uti ſemper ferè eveniſſe legimus, ultima fuit colluctatio.

Hæc ſentimus, quia cum diureticis noſter æger urinam copioſè emittebat in pejus ruere obſervavimus: melius ſe habebat quando urinæ paucæ aut nullæ ejciebantur.

Sic & Swetenius [1] ſenſiſſe videtur, tenujore enim parte diſſlata craſſas ut adunentur neceſſe eſt,

Sed jam de hiſce rebus ſatis diſſeruimus; interim Ill. & Celeb Vir hoc tentamen noſtrorum ſtudiorum benigniter intuere; obſervationes, labores & doctrinam ornatiſſimorum Juvenum & medicam artem optime addiſcentium hic colliguntur; etenim in curandis in Noſocomio ægrotis una mecum conſilia contulere, igitur fructus percipe ingeniorum, utcumque ſint, humani orporis ſalutem tuentium, & Te Auſpice nobis meliora cooptamus.

(1) Wanſ. in Boer. aph. §. 1093.

Digitized by Google

Digitized by Google